

HENRICUS SEPTIMELLENSIS

NOTITIA

(Polyc. LEYSER, *Historia poetarum et poematum medii aevi*, Halæ Magdeb., 1721, in-8°, pag. 450)

Henricus Septimellensis, ex Etruria oriundus, pago quodam agri Florentini qui septimo ab urbe Florentia lapide Lucam euntibus occurrit, id quod in exemplo Elegiæ manuscripto notaverat Marq. Gudius. Alias Samariensis, vulgo Henricus Pauper appellatur in codice quodam manuscripto bibliothecæ Paulinæ academiæ Lipsiensis (1). Florentinus dicitur in glossa manuscripta codicis Helmstadiensis. Genus suum agreste esse et tenue ipse fatetur auctor (2). Studiis operam dedit Bononiæ (3). Adeo pauper fuisse proditur, ut cum papyrus deesset, versus suos in veteri et attrito pellicio describere cogeretur (4). Fuit poeta sæculi XIII, ut vult Christianus Daumius (5). Scripsit carmen, cujus mentio fiet, A. 1191, aut 1192, quod ex libri II versibus 61, 62, 63, 64, patet. Anno enim 1193 Henricus VI Siciliam omnem expugnavit, cum antea idem infeliciter tentasset, quam adversam expeditionem innuit auctor. Meminit etiam (6) tanquam rei noviter gestæ captivitatis a Richardo, Angliæ rege, anno 1192 perpressæ.

Scripsit Elegiam *De diversitate fortunæ et philosophiæ consolatione*, ut inscribitur in codice ms. bibliothecæ Paulinæ academiæ Lipsiensis (7). Gavisus antea summa felicitate, et postea ad summam inopiam redactus carmen hoc composuit (8). Scripsit hunc librum ad episcopum Florentinum (9). Mille versus habet Elegia (10). Dividitur carmen in quatuor libros. In primo queritur Henricus de sua miseria et adversitatibus hujus mundi. In tertio introducit Philosophiam ipsum acriter reprehendentem. In quarto eandem ipsum consolantem (11). Evulgavit opus hoc Christianus Daumius (12) ex ms. codice bibliothecæ Lipsiensis, quæ tamen dimidiam solum ejus partem suppeditaverat (13); et ex membranæ Florentinis (14). Forte et usus est Marq. Gudii manuscripta (15). Excusa est editio Daumiana anno 1684 aut postea (16). Caruerat editor exemplari ms. equitis Lucensis Marii Florentini, cujus manuscriptum cum nonnullis obscuris in excuso locis contulit Barthol. Bærerinus, et ad Daumium misit (17). Caruit et codice quodam ms. Pataviensi (18). Notas se textui additurum promisit Christianus Daumius (19). Exstat alioqui cum commento manuscripto in bibliotheca academiæ Lipsiensis (20).

Recepi in me novam Henrici Septimellensis editionem, ignorans tum typis jam esse a Daumio vulgatum. Quamvis vero postea de editione Daumiana certior fuerim factus, tamen quoniam et rarior occurrit et forte minus nostra correctæ est, in proposito persistam, daboque carmen integrum.

Adhibui ejus rei gratia duos codices, quorum prior in Helmstadiensi academica bibliotheca antiquiori, posterior in illustri ducali Guelpherbytana, in quam ex Marquardi Gudii penu delatus est, servatur. Ex his posterior codex variorum aliorum codicum manuscriptorum, ad quæ correctus est, vicem præstat.

- (1) V. Joach. Felleri Catalogum p. 289. n. 9.
 (2) V. Henrici Elegia lib. II, v. 205.
 (3) V. Henricus l. c. lib. III, v. 71.
 (4) V. Mich. Neandri Ethice vetus et sapiens eo. Lips. 1590. P. III. p. 259.
 (5) Epist. ad Joannem Gebhardum in epistolis philologico-criticis ed. Chemnicii 1709, p. 184.
 (6) Elegiæ lib. III, v. 164.
 (7) V. Fellerus l. c.
 (8) V. Glossa ms. codicis Helmstadiensis.
 (9) V. Glossa ms. cit.
 (10) V. Glossa cit. et Henricus, Eleg. lib. IV, v. 246.

- (11) V. Glossa cit.
 (12) V. Daumii epistolas philologico-criticas p. 163, 164.
 (13) V. Daumius l. c. p. 178.
 (14) V. Daumius l. c. p. 184.
 (15) V. Daumius l. c. p. 178.
 (16) V. Daumius l. c. p. 257.
 (17) V. Daumius l. c. p. 265.
 (18) V. Daumius p. 163.
 (19) L. c.
 (20) V. Felleri catalog. p. 289, n. 9.